

DECISIO.

Num. 6.
Ternarius
principiorū
Physicorum
numerus nō
sta approba-
tur.

Resolutio prima: Videtur implicare tria esse principia Physica simpliciter. Ratio mihi videtur à priori: quia quod est simpliciter principium in illa scientia, à nullo alio dependet in tali scientia: sed forma, & priuatio pendent à materia prima, ergo non sunt simpliciter principia Physica. Maior videtur confitare, & confirmatur ex natura principij, Principium enim est illud, à quo emanat aliiquid: quod si illud principium emanet etiam ab alio, iam non erit principium simpliciter, sed secundum quid v.g. in quinariis numero, prima vnitatis est simpliciter principium quinarij, at secunda vnitatis est quidem principium respectu sequentium vnitatium, non tamen est principium simpliciter, sed secundum quid: Item sint decem in eodem secundo sedentes, primus dicetur principium ceterorum simpliciter, & absolute, sed secundus non nisi secundum quid. Maior ergo est vera, minor vero probatur, idque nullo negotio, de priuatione quidem, quia priuatio est aliquid contingens, & pullulans ex materia prima: Pullulans, inquam, priuatiū, quia cùm materia prima sit pura potentia Physica, ideò dicitur habere ex se priuationem omnium formarum, dependet ergo priuatio ex materia, imò aliquo modo potest dici fieri ex materia, ex eo quòd materia prima sit pura potentia Physica. Quòd etiam forma fiat ex materia, videtur clarum, nam educi ex alio est fieri ex illo, sicut herbae fiunt ex terra, quia educuntur ex terra, at certum est apud omnes formas substantiales, excepta rationali, è gremio materiæ educi, ergo ex illa fiunt, ab eaque dependent, principia vero Physica dicuntur ea, quae nec ex seip̄s fiunt, ergo cùm priuatio, & forma fiunt ex materia, non poterunt dici principia Physica secundum illam principiorū Physicorum definitionem ab Aristotel. allatum, & à communī schola receptam, qua certe pluslaborat in soluendis rationibus contra dictam definitionem, quām in ea stabilienda.

Respondent.

Impugnan-
tur.Confirmatur
primò.

Secundò.

Respondent communiter Peripateticī, vt vidimus supra ex Combrisib⁹, priuationem, & formam non fieri, sed totum compositum, quae tamen Responſio videtur ad placitum data, nam quandoquidem educitur forma, debet necessariò dici fieri. Probatur: Quod antea non habebat esse, & de nouo incipit habere esse, illud dicitur fieri: sed forma antequam educeretur de potentia materiæ, non habebat esse, & per educationem habet esse, ergo propriè debet dici fieri, nam educitur de potentia materiæ, quia de eius sinu beneficio causa efficientis egreditur.

Confirmatur: Effectus causa agentis dicitur fieri à causa agente: sed effectio formæ ex materia est effectus agentis, ergo sit ab agente, dum vero dicunt solum compositum propriè fieri, hoc videtur omnino repugnans, nam potius debet dici resultare, & præfertim secundum opinionem, quam in sequenti disputatione amplectemur, nempe quidem compositum nil sit aliud, quam materia, & forma vnitæ, & transactæ absque medio distincto vinculo.

Confirmatur secundò: Ignis dicitur fieri ex aëre non alia certe de causa, nisi quia forma

ignis educitur de potentia materiæ aëris, vnde sic argumentor: Propter quod vnumquodque tale, & illud magis, sed ideo ignis dicitur fieri ex aëre, quia forma ignis educitur de potentia materiæ aëris, ergo multò magis dicitur forma ignis fieri ex materia aëris, aut certe ex materia prima.

Resolutio secunda: Etsi forma, & priuatio non possint dici principia Physica simpliciter, possunt tamen dici principia secundum quid: Prima pars patet ex superiori Resolutione. Secunda facile probatur, quia illud principium secundum quid dicitur, quod licet ab alio dependeat, attamen ab ipso alia dependent, sed ex forma dependet compositi constitutio, ergo erit secundum hoc principium compositi: Quare si Aristoteles dicens esse tria principia Physica loquatur indefinitè, id est tamen de principio simpliciter, quam de principio secundum quid, cum eo conuenimus, si vero loquatur de principijs simpliciter, vt ipsum interpretatur communis schola, ab eo nunc discedimus.

Respondent communiter Peripateticī ad totum nostrum fundamentum, formam ideo debere dici principium simpliciter, quia forma non fit ex alia forma, sed hoc etiam frustra dicitur, nam multa sunt in Physica, quæ à nullo alio eiusdem rationis fiunt, & tamen non solent dici principia Physica, v.g. quantitas non fit ex alia quantitate, & tamen non dicitur principium Physicum: motus non fit ex alio motu antecedenti, ergo &c. Adde quod in definitione principiorū habetur, quid principia non sunt ex se inuicem, quod non potest intelligi, ita vt vnum principium non possit fieri ex alio principio eiusdem rationis, alioquin esset ridicula illa ratio, sed debet sic intelligi, ita vt vnum principium sit independens, quod suum esse fieri, & conservari ab alio, manifestum autem est formam fieri ex materia, de priuatione etiam constat, nam duplex est priuatio, vt postea ostendemus, una generalis, & altera particularis; generalis non est principium Physicum, vt communiter docent Physici, sed particularis: at particularis priuatio ex illa generali promanat, ergo fit ex illa, nam priuatio generalis est, quā materia priuatur omnibus formis; particularis est, quā priuatur hac formā, sed ideo materia priuatur hac formā, quia priuatur omnibus formis, ergo priuatio particularis prouenit ex priuatione generali.

Contra tamen prædicta objici potest illa ratiocinatio, quā Aristoteles probauit supra principia esse contraria, & esse plura.

Respondeo tamen ex illo processu nihil sequi, nisi quid ad compositionem Physici compotiti in fieri requiratur priuatio, & forma: non tamen sequitur, quid priuatio, & forma sint principia simpliciter, suffici enim admittere, quid sint principia secundum quid.

Si instes ex principijs secundum quid non resultere nisi compositum secundum quid.

Respondeo hoc esse verum, quando omnia principia sunt principia secundum quid. Quod si dicas, ergo erit ex pariete, & albedine tamen bene sit compositum, quam ex materia, & forma compositum substantiale. Respondeo hoc negando,

Num. 7.
Forma, &
priuatio de-
bet dici prin-
cipia tan-
tum secundum
quid.

Respondent.

Impugnan-
tur.

Objicitur.

Instabilitas.

Respondeo.